
IACOBI SEGVERII
PHILOSOPHI
ET THEOLOGI GALLI

ORATIO

Habita Romæ in Æde ſacra D. Ludouici nationis Gallicanæ, in funere Renati de Rieux Marchionis d'Aſſerac XV. Kal. Octob. M.DC.IX.



ROMÆ,
Apud Iacobum Maſcardum. M. DC. IX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, Si videbitur R.P.M. Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Thomas Pallauicinus Magister, & Reuerendissimi P.F. Ludouici Ystella Sacri Pal. Apost. Magist. Socius Ord. Præd.

ILLVSTRISSIMO ET NOBILISSIMO VIRO IOANNI DE RIEVX MARCHIONI D'ASSERAC.



IACOBVS SEGVERIVS S. P.



HABVI nuper, vir Illuſtriſsime, & nobiliſsime magis breuem, quam bonam orationem in funere nobiliſsimi adoleſcentis Renati de Rieux, fratris tui filij, quem nuper in hac Vrbe mors immatura nobis ademit. Id vt facerem peruicerunt, tùm plurimi nobiles adoleſcentes ordinum omnium, & nationum, qui ex eius morte ingentem dolorem conceperant, tum vir egregius qui Renati cum viueret adoleſcentiam magna cura regebat, quiq. nihil ſibi prætermittendum putauit eorum quæ ad exornandam & cohoneſtandam ipſius memoriam pertinere exiſtimauit. Ego vero ita ſemper iudicaui boni viri, & honeſti eſſe, quem viuum coluerit, eum poſtquam

corporis huius vinculis euolauit, debitis honoribus
ɔſequi:quare libenter functus ſum hoc officio,quam-
am lugubri, & luctuoſo, lætorq. electum eſſe me
tiſsimum à quo hoc munus obiretur. Sed erit quod
hi multo magis gratuler, ſi ſenſero, meam hanc er-
mortuum egregiè animatam voluntatem tibi non
ınino diſplicuiſſe. Vale. Romæ nonis Octobris
no M. DC. IX.



IACOBI SEGVERI PHILOSOPHI ET THEOLOGI GALLI
ORATIO.

Habita Romæ in Æde sacra D. Ludouici nationis Gallicanæ in funere Renati de Rieux Marchionis d'Asserac XV. Kal. Octob. M. DC. IX.



SI dolor ingens,& mæstitia hominem disertum atque eloquentem efficerent, viri amplissimi vosq. nobilissimi, & humanissimi auditores non dubitanter affirmarem me parem orationem nobilissimi adolescentis, cui hodierno die more maiorum iusta persoluimus, virtutibus habiturum. Nunc vero cum euenire soleat, vt ipsa doloris magnitudo pectus oratoris effodiat, vires animi solo affligat, omnes denique sensus stupefaciat, ac consternet, quidlibet potius a nobis sperandum est, quam exculta, ornataq. oratio, quæ illius aliqua ex parte respondeat dignitati. Erigendus tamen, atque excitandus nobis est animus, omnisq. doloris acerbitas ratione, ac constantia superanda. Nam quamuis pompa funebris, cenotaphij moles, atrati parietes, tristissima maiorum insignia, totus denique feralis iste apparatus a maioribus nostris sapientissimè instituta esse videantur, vt magis solatio sint ijs, qui hic vitam agitant, quam subsidio ijs, qui iam ex corporum vinculis tanquam ex carcere euolauerunt; dubitandum tamen non est, ad eos quoque, quodammodo pertinere, eosq. magnopere lætari cùm eum honorem quem par est, eis deferimus, illorumq. exemplo incitati, id maximè agere conamur, vt per eorum vestigia gradiamur. Quare vos omnes obtestor, qui ad exornandam memoriam inclyti adolescentis, eiq. parentandum, huc conuenistis, meq. hoc munus aliquid

quid publicè dicendi obire voluistis, vt tantisper dum illius laudes strictim, ac modicè attingo mihi vestros animos tranquillos, atque ab omni tristitia liberos adhibeatis. Primū igitur si de Renati de Rieux nobilitate orationem instituere voluero, non vereor, ne quis me, noua pro veteribus, incognita pro compertis, inania, & superuacanea, pro solidis, & veris, contrita, & peruulgata pro abstrusis, & recōditis obtrudere voluisse calumnietur. Itaque si quam cōmendationem ex splendore, & claritate generis petendam arbitramur, quod ita fere natura comparatum sit, vt qua in familia multi præclarissimi viri, & rerum gestarum gloria insignes floruerunt, hanc laudem qui sunt eius stirpis cupidissimè persequantur, quæ familia tota Aremorica imò tota Gallia, illustrium virorum multitudine & rerum pace, belloq. perpetua laude gestarum huic anteponi potest? Constat enim, vt vetustiora prætereamus, & fælicia illa sancti Ludouici sæcula, in quibus familiam duxerunt maximi huius familiæ viri regijs exercitibus præfecti sub Carolo VI. & VII. Regibus, turbulentissimis Regni temporibus, Petrum de Rieux rerum bellicarum gloria, & scientia virum longe præstantissimum, Tribunum militarem fuisse, quos Galli patria lingua Marescallos vocare solent. Itemq. sub Carolo VIII. Ioannem de Rieux regio exercitui pari dignitate, & auctoritate summo cum imperio præfuisse, qui honos nisi fortissimis viris, & spectatæ per multa decora virtutis, a Regibus nostris deferri non solet. Quin etiam Franciscus II. vltimus Britanniæ Dux, cum moriundum sibi esse videret, relinqueretq. Annam filiam, adhuc innubilem, & immaturam, nec fortasse parem, maximis negotijs tractandis, ei præcepit ne quid magni momenti decerneret, sine cōsilio Ioannis Dynastæ de Rieux, quem etiam toti Britanniæ præfecit. Ex quo non leue argumentum capere posse mihi videor, vt ostendam huius familię viros, & eximia quadam, minimeq. vulgari virtute præditos fuisse, & ab ipsis Ducibus Britanniæ proximè originem duxisse, neque enim tam seuerè Annę filię præcepisset pater moriens, vt Ioanni obtemperaret, nisi eum sibi propinquo sanguine deuinctum agnouisset. Cum autem in comperto sit Britanniæ Duces ex Regibus nostris, qui sanè omnium sunt sine controuersia nobilissimi, propagatos, & prosemínatos, dicendum est, aut nullum restare vspiam vestigium nobilitatis, aut familiam de Rieux inter nobilissimas esse annumerandam. Dies me deficiet si commemorare voluero affinitates deductas, & deriuatas in antiquissimas, & potētissimas familias Comitum de l'Aual, Damboise, ipsam deniq; regiam Borboniorum, nam Susanna

Bor-

Borbonia filia Principis de la Roche Sur yon, nupsit Renato de Rieux ex quo filiam suscepit Aloysiam, quæ postea in matrimonium colloca ta est Renato Principi Lotharingio Marchioni D'Albeuf: hodieq. v vno verbo omnia conficiam, in comitijs publicis totius Aremoricæ quæ singulis annis more maiorum conuocari solent, primo loco, au in primis nominari solent huius familiæ Principes, vt prima ijs suffra gia deferantur? Sed non hic statui historiam texere, aut tantæ nobili tatis stemma ad suas origines, & fontes reuocare. Patiamur hoc negotium ab historicis luculenter tractari, qui eam iampridem de huius gentis claritudine, & antiquitate publicis monimentis consignarunt, quæ illustri loco posita, atq; expressa nulla iniuria temporum oblitera buntur. Multa alia sunt in Renato nostro, quæ illi, etiam si ex obscura familia natus fuisset veram, solidamq. laudem afferre potuissent. Ego enim semper cum sapientibus ita existimaui, vt quisq. virtute maxime præstet, ita nobilissimum esse, & in laudibus magnorum virorũ, postremum locum generis nobilitati attribuendum, primum vero ijs, quæ cuiusq. sunt propria, & cum virtute coniuncta. Itaque sapientissimus vir apud Platonem, eos qui gloriantur, quod septem fortassis auos suos diuites, & potentes nominare possint cordatis, & grauibus viris ridiculos esse pronunciat, tanquam qui longe aspicere non possint, & in omnem antiquitatem intueri, ac ratiocinari, cum vnusquisq. nostrũ innumerabiles maiores habuerit, & in cuiusq. hominis genere certissimum sit, & reges, & mendicos, & liberos, & seruos permultos extitisse. Diogenes etiam nobilitatem omnem, quæ a recto ingenio, bonisq. artibus abhorreret, nequitiæ velamentum appellare solebat, quod cum quid scelerate fecerint nobiles viri, statim eis patrocinium a genere sit in promptu; quasi nefarium sit de homine ijs maioribus orto indignum quicquam suspicari. Ignobiles contra vix vllum nisi in seipsis præsidium habere possunt, neque ijs si quid peccent, magna impunitatis spes, ob maiorum virtutem, est proposita, fere vt necessitate ipsa ad studium rectè agendi pertrahantur. Veniamus ergo ad ea virtutis studia, in quibus Marchio noster excelluit, & quæ sola veram commendationem, magnumq. nomen conficere, & parare debent, ne aliena, & superuacanea, ei ornando conquirentes intemperanter otio vestro, his temporis angustijs abuti videamur. Et quamuis probè intelligam difficillimum negotium esse laudare adolescentiam, cum non res ipsa, sed potius spes, & indoles sit laudanda; nihilominus tamen, vt Agricolæ, ex herbescentis segetis viriditate, de futura messe prædi-

:re solent, & cum arbores verno tempore se in nouum florem in-
uentes aspexerint de fructuum vbertate multa sperare, ita ex præ-
:ara indole, sese efferente, & foras emicante non difficilè conijci po-
:st, quæ tandem spes sit concipienda. Nondum excesserat annum
:ptimum decimum nobilissimus iuuenis, quæ ætas Romanis olim mo-
ibus ad auspicandam militiam constituta erat. In qua ætate qui ver-
intur neglecto, vt plurimum rationis imperio prauas appetitiones,
tque perturbationes, tamquam vitæ duces, & magistras omni animi
mpetu persequuntur, qui ferè ita incontinentes sunt, vt æstu cupidi-
atum absorbeantur, & quasi abrepti reflantibus ventis, quo pellit vo-
uptas, & libido, non quò ratio intendit ferantur. In qua denique
:am pauci omni memoria vixerunt, vt rectum cursum sine vlla offen-
sione tenuerint, paucissimi qui in illo ætatis flexu, non ad metas adhæ-
serint, aut aliqua prolapsione labem aliquam famæ suæ asperserint, &
turpitudine contaminarint. In ea tamen ætate, quæ tam male audire
solet, apud sapientes, ita se gessit, vt non modo omni inhonesta suspi-
cione caruerit, verum etiam plurimis, & maximis virtutibus, impro-
uidam illam, & inconsultam adolescentiam, quasi firmissimis quibusdã
vinculis ne blanditijs voluptatum illecta, a rationis præscripto defle-
cteret, constrinxerit, atque illaquearit; vt vere, & sine inuidia dicere
possim, illius adolescentiam multorum senectuti exemplo esse potuis-
se. Atque vt a cultu diuini numinis, in quo omnis virtutis, & sapien-
tię fundamentum est principium ducam, semper in eo adhuc puerulo
emicare visum est, singulare quoddam studium pietatis. Cum autem
pietatem eo maxime contineri doceant Sapientes, vt rectas de Deo
habeamus opiniones, hoc est, vt sentiamus, & esse Deum, & bene,
iusteq. ab eo cuncta administrari, ac propterea parendum illi, &
omnibus quæ fiunt acquiescendum esse, ac sequendum vltro, vt quæ
a mente præstantissima regantur. Ita se semper in eo studio gessit, vt
numquam nisi piè, & prudenter, atque ex præscripto Antistitum reli-
gionis nostræ, de diuino numine, deq. misterijs Religionis Christia-
næ, & senserit, & locutus fuerit, quod ipsum etiam re ipsa factisq. con-
firmauit, nullum enim vnquam mensem abire sibi passus est, quin fa-
cra exomologesi peccata sua omnia expiauerit, & sacrosanctum Do-
mini nostri Iesu Christi corpus acceperit. Quo fit vt non timidè pro-
nunciare ausim ereptum illum nobis esse, ne malitia mutaret cor eius,
deductumq. in eum locum, in quo beati emensis huius vitæ molestijs
fœlicitate cum Deo per fruuntur sempiterna. Prudentię autem, quam
vere

vere Aristoteles virtutem Imperantium propriam esse ait; & quæ r. rò in eam ætatem cadere solet, propterea quod longo vsu, magna e rerum tractandarum experientia comparetur non leuia, aut obscur testimonia sępe dedit, quotiescumque inijceretur mentio de re aliqu maioris momenti, & quæ ad Rempubl. administrandam, aut scientiar militarem perdiscendam pertinere videretur. Quæ causa inter cæteras fuit, cur Henricus Rex Christianiss. non modò acerrimus ingeniorum æstimator, sed etiam omnibus regijs virtutibus, omnium memoriæ nostræ Regum facilè primus, cum honorifica legatione Roma Bononiam fungi voluerit, vt nobilissimi viri infantem suo nomine susciperet salutari aqua tingendam, & baptizandam? Et pieta igitur ipsius, & prudentia, tum ex ijs quæ diximus, tum ex alijs eiusdem generis quamplurimis perspici potest. Sed illius facilitatem, affabilitatem, comitatem, liberalitatem etiam & munificentiam, quæ non nisi magnis, & generosis pectoribus inseri solet, quis satis pro dignitate explicarit? Conduxerat, vt scitis in via lata, non longè a radicibus Quirinalis ædes satis commodas, & amplas, ad eas visendi, & alloquendi gratia tanta nobilitas, ex omnibus nationibus confluebat, vt non eam domum alicuius viri nobilis priuati diceres, sed regiam aliquam, aut scholam, & Academiam lectissimæ, & florentissimæ nobilitatis. Atque ijs egregijs artibus hoc effecerat, vt apud omnes maxima gratia valeret; ijs etiam, qui ne quidem de facie eum nouerant, ob singularem indolem carissimus esset. Eiusq. rei luculentissimum testimonium dedit nuper populus Romanus, aliæq; omnes nationes, quæ in hoc religionis, & sanctitatis domicilio, varijs de causis commorantur. Meministis enim, cum a vobis nuper funus quam frequentissimum tota vrbe duceretur, corpusq. in hoc templum efferretur, tantum concursum omnium ætatum, atq; ordinum factum esse vt viæ omnes publicæ perangustæ viderentur, & quasi quoddam iustitium publicum indictum esse putaretur. Superuacaneum, & inutile fuerit, de exercitationibus corporis, quæ illi cum nostra nobilitate communia sunt aliquid recensere, siue enim oportuit equum incitare, aut reprimere incitatum flectere dextrorsum, & sinistrorsum, punctim, cæsimq. ad palum ferire; sine quibus exercitationibus prudentes Romani non putarunt suam Rempubl. recte administrari potuisse, nullum diem, quantum in ipso fuit intermisit, nulli labori, nullis sumptibus pepercit, vt quod in ijs artibus a peritis earum rerum magistris excellentissimum haberi solet, assequeretur. De studijs vero

terarum vere ego hoc confirmare possum, habeoq. plures, & locu-letes huiusce rei testes, succensere mihi aliquando eum, atque etiam irasci solitum, quod remissior, & lentior quam par esset, ei viderer illis suis studijs procurandis; dederat enim iam a pueritia operam non contemnendam linguæ latinæ, bonis præceptoribus vsus, existimabatq; pro sua in me amicitia, me auctore, ijs aliquid incrementi accessurum. Quare dolendū est maximo Regi, qui iuuenem ad magna surgentem, magna exempla, si ita Deo visum esset aliquando daturum, quasi herbam solstitialem, aut matutinum florem prætereunte aratro actum, repente exortum, repente marcentem viderit. Lugendum tibi miseræ matri, sed reprimo me, quis enim miseram pronunciet lectissimam mulierem, magnis virtutibus excultā, & exornatam? Sed tamen non possum non te, ò mater dicere calamitosam, & infœlicem, tam atroci fortunę casu, veluti repentino quodam fulminis ictu afflatam, atque exanimatam. Ecquid tibi iam in hac vita iucundum esse potest? ecquis mundus muliebris, quænam ornamenta in pretio esse? Ecquæ huius lucis cupido? Concidere hoc vnici filij tui casu? gaudia tua omnia; Spes omnes tuæ fractæ, ac debilitatæ iacent, quæcumq. tibi grata, antiqua, iucunda esse poterant, eodem, quo filij tui cadauer exanime tumulo, obruta sunt, & demersa. licuisset saltem tibi extremum osculum carpere, vltimum spiritum excipere, oculos languentes claudere, supremam complorationem adhibere, sed ne ossa quidem, aut ipsas reliquias, tibi fas est videre, alienis sepulcris illatas, & a te tam magno longinquarum regionum interuallo disiunctas. verumtamen hæc diuinę prouidentię ordinatio est, omnia mirabili quadam, & certissima ratione, quamuis nobis incognita dispensantis. hęc illa æterna, & immutabilis lex quam semel fixit author naturæ, refixit, aut refiget nemo. Nec est, quod quisquam immania fata conqueratur, aut astra crudelia incuset, voces eæ sunt imperitorum hominum, & parum recte sentientium de diuinis arcanis. Licuerit veteribus illis veræ religionis ignoratione occęcatis ita sentire, & eos, qui immaturam mortem obierant, ante solis exortum albescente cælo exportare, quod nefas opinarentur tanti mali, tantæq; calamitatis, spectatorem ac testem esse solem; nobis quibus veræ religionis per Christum lux affulsit videri non potest immatura mors, cuius vita sit cum virtute traducta. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite, inquam, & innumerabiles vitæ annos vobis proponitè nempe hic noster in illo ætatis flore, in illa spe, quam de

se

se eximiam concitarat in media amicorum caterua, dum se Christianiss. Regi approbare nititur, & se dignum præstare maiorum virtute, & nobilitate dum denique omnibus bonis artibus ad virtutem grassatur tyberinis vorticibus absorptus documento est quam fluxo, & instabili res mortalium nitantur fundamento. O cogitationes nostræ temerariæ, & fallaces. O fluctus tiberini quolibet Acheronte, & Cocyto tetriores, & tristiores. Nolo vltra progredi, viri nobilissimi, nec si vellem quidem possem, nam & illa breuis, & dilucida virtutum Renati commemoratio, quam mihi leuamento fore speraueram, altius mihi vulnus impressit, grauioremq. dolorem inussit, quam initio cogitaram. Superest quando Deus Opt. Max. annos nostros tam angustis finibus comprehendi voluit, & circumscribi vt memoriam nostram nominibus optimis, ac egregijs artibus quamlongissimam efficiamus. fuit hæc vetus consuetudo omnium temporum cum quis ex hac vita sibi abeundum esse intelligeret, amicos conuocandi, quædam etiam quæ ad virtutem pertinerent mandandi, & præcipiendi. hoc quia Renatus viuens præstare non potuit, existimate tamen vos ab eo tanquam viuo, & spirante, hic paucissimis, sed vtilissimis vocibus compellari. Macte animo nobilissimi iuuenes, & robora nominis Christiani. Agite, Confirmate viriles illos, & mares animos egregia omnia Deo, & patriæ pollicentes. Deponite vanas omnes contentiones, elidite fibras dissensionum omnium, amicitiæ & Charitatis Christianæ capitales pestes. Comprimite, ac domate effrænatas cupiditates, atque insanas voluptates rationi semper cum præsentissimo periculo insidiantes. Incumbite omni corporis, & animi contentione, ne qua turpitudine dignitati vestræ, maiorumq. virtuti maculam aspergatis. Existimate denique patrimonium vestrum esse, non ingentem vim diuitiarum, non inanem, & adumbratam honorum imaginem, populari tãtum aura, & falsis imperitæ multitudinis sermonibus excitatam, sed ipsam virtutem, quamlibet asperam, & quamlibet multis difficultatibus obstructam. hæc enim vna, & sola ratio est, quæ sine vlla offensione faciliem, & expeditam viam vobis muniat ad Immortalitatem.



IN ILLVSTRISSIMI, AC Nobilissimi Marchionis d'Asserac mortem.

EPIGRAMMA.

QVEIS miserum sese Tyberinus credidit olim
Fœlicem his Heros credidit almus aquis
Mens vtriusque fuit dispar; sed, credite, dispar
Non fuit euentus. Hic perit, ille perit
Vt pietatis opus miserum rapuisse profundo est:
Fœlicem sic est impietatis opus.
Sed non æqua pari respondit palma labori
Impius hinc Tyberis diceris, inde pius.

Aliud.

Plus solito (mirum) concedit Roma dolori
Exprimit & lachrymis corde quod ipsa premit.
Gallia nulla paret funesti signa triumphi
Nec viduata suo Principe mæsta fleat
Magna equidem magno debentur funera; Roma
Funere pro magno sit lachrymasse satis.

Aliud.

Morte sua multos multis sua nomina rebus
Historia Heroas imposuisse ferunt.
Sic nomen referunt Tyberinum Tybridis vndis
Icarum, & Icarijs imposuisse suum
An reticebo, dolor cogit quod promere? Princeps
Cur te sorbuerit Tybridis vnda, scio
Vnius ob mortem cum nomine gaudeat vno
Principis, vt duplici gaudeat, inde peris.

Aliud.

Gallicus in medio deprehensus flumine Princeps
Dùm benè mortales Siria flamma coquit.
Talibus affatus postremo creditur vndas
E quibus (infandum) iam moriturus erat
Quò virtus nomenq. meum non occidat vnà
Perdite me, nomen sed retinete meum.

Sonetti

SOVRA lieue destrier di ferro armato
Lasciando l'ampio stuol che lo circonda
Va Curtio à la voragine profonda
E dichiara morendo il dubbio fato.
Tu cui più franco ardire il Cielo ha dato
Inerme e nudo in su l'istessa sponda
Del Tebro vorator corri nel onda
Ne pur che viua altrui curi il tuo stato.
A la morte d'Heroi clima mortale
Per amor l'vno qui la terra inghiottè,
Per pietà l'altro assorbe onda letale.
Roma ben chiara andar puoi di tue grotte
Più che de colli se con gloria eguale
Han in lor si bei soli illustre notte.

E QVAL vaghezza in volontario esiglio
De la Senna lasciar ti fe le sponde,
E qual ardir del Tebro in preda à l'onde.
Il sol di tua beltà pose à periglio:
Del notator d'Abido il mal consiglio
Pur douea i tuoi desir volger altronde
Mentre del mar fra viscere profonde
Chiuse anti sera a nott'eterna il ciglio:
Ma quale esempio hauria l'ardir frenato
Del tuo nobile cor ch' entro le scole
Crebbe di Marte, e parue à rischi nato:
Si duol in van chi del tuo fin si duole,
Che tal scritto nel Ciel era il tuo stato
Ne muore altroue che nel acque il Sole.

ERA nel mar d'Atlante il Sol già spento
Per cui vestiasi à brun la terra intorno
E facendo le stelle in Ciel ritorno
Parean farli l'esequie a cento, à cento.
Quando del Tebro entro al rapace argento
Cadde d'honore vn più bel sole adorno,
Che spengendo nel alba il suo bel giorno
Tolse'l grido a la Francia, e l'ornamento.
O caso intempestiuo, inuida sorte
Che a noi togliesti vn si gradito lume;
Che festi a si bel dì l'hore si corte;
Legge vsata non più, fero costume
S'hoggi veder conuien per man di morte
Chiuder il mar de le bellezze vn fiume.

O NAIADI fugaci, ò Ninfe ondose,
Che nel grembo del Tebro albergo fate,
E belle natatrici ogn'hor cantate
A l'ombra delle Driadi frondose:
Facendo de begl'occhi vrne piouose
Il fior della bellezza hor lacrimate
Ch'in su l'April de la piu verde etate
A noi morte rubbando in voi nascose.
E poi che indegni son terreni chori
Piu quel lume goder ch'entro al ciel nacque
Serbatel voi del onde entro a i tesori:
Che dritto è ben che se in voi spento giacque
Viua anco eterno infra piu degni amori,
Ma cielo angusto a si bel sol sian l'acque.

Gio.Paolo Embrozio sopra la morte dell'Ill.mo Sig.Marchese d'Asserac.

S'IL Pò perche di Febo il figlio estinto
Restò fra l'onde sue, famoso al mondo
Risplende illustre ond'è ch'a sui secondo
Lod'ogni fiume, e si confessa vinto.
Ben sarò (dicea il Tebro) e chiaro, e pinto
In mille marmi io, che nel sen profondo
Il figlio nò, ma Febo istesso ascondo
Da me stesso con l'acque a morte spinto
Quando l'aure volanti, & l'ore intorno
Cosi dieder rispost' al crudo fiume
D'humana voce prima vn son formato:
Cieco come t'inganni il vero lume
Assorbi in te non chi per darne il giorno
Post abrugiando il mondo in dubio stato.

VAGO Garzone che ne' tuoi verdi anni
Di splendore, e virtute illustre, e chiaro
Qual giouinetto Alcide in armi raro
Salir tentasti a piu supremi scanni.
E forse à ristorar gli antichi danni
De la tua Gallia, tu co'l Sole à paro
Alzaui il volo si che il Cielo auaro
Teme del tuo spiegar troppo alto i vanni.
Quindi col ciel concorde il Tebro crudo
Temendo il tuo splendor, da suoi piu caui
Antri, fe l'onde ingannatrici alzare:
E à te, che gemma Oriental sembiaui
Quasi Sirena ingannatrice ignudo
Aperse il sen per arricchire il mare.

DELLA

Della Signora Claudia del Bufalo.

GIA son le guancie scolorite, e meste
De piu viui color raccese in cielo,
E formate di vita in piu bel velo
Ardeno innanzi a Dio pure, e celeste.
Qui di pompa mortal negre, e funeste
Copre le membra tue stinte dal gelo.
Dal sommo Sol d'vn'amoroso zelo
Adorno sei di sua candida veste:
Cittadino sei fatto al sommo Choro
Dal sacro Tebro nel Romano impero
Renato sei tra le superbe arene:
Che ne i bronzi, e teatri a lettre d'oro
Sculto sarai tra gl'Heroi viuo, e vero
Il corpo in terra, e l'alma al sommo bene.

Della medesima.

QVEL dolce suon che del silentio eterno
Fe pietosi i gran regni, e quei sospiri
Che flebile poter dolci, e soaui
L'ombre placar della città d'Auerno
O mia funebre musa hoggi m'inspiri:
Si che i begl'occhi, doue amor ti staui,
E che tanto pregiaui
Ritolga a morte, e col mio canto auuiui.
Fa ch'io cantando oltr' Acheronte spieghi
I dolorosi prieghi:
Si che quel sol di cui noi morte ha priui
Miri fra l'onde del mio pianto amaro
Sorgere il mondo piu sereno, e chiaro.
Qual destin fiero, o qual contrario nume
Forze inuidiando al tuo valor la fama,
Che dispiegaua al ciel le dorate ale
Si preste ad inuolarti hebbe le piume.
A Roma, che dogliosa hor ti richiama.
Lassa ben fu il tuo morir
Se per torne il tuo frale
I fiumi istessi diuentar crudeli.
Anzi dell'acque il regnator Latino
Che riuerente, e chino
L'onde piegò piu volte a i tuoi bei veli

D'hauer

D'hauer si ricca preda al fin superbo
Ti sommerse nel [illegible] anchora acerbo.
Per tor le membra al sonno pigro, e lento,
Ch'il dì fra l'armi essercitar soleua
La notte al Tebro il giouane guerriero
Venia, e nell'acque s'immergea d'argento
A sì dolce spettacolo sorgeua
De le Ninfe del Tebro il coro intero:
Et ei non già sì fiero
Qual atterra tal'hor l'eccelse mura,
Ma placido, e tranquillo, & quasi immoto
Miraua ogni suo moto,
Che con arte più destra, o più sicura
Ei già non uide con l'armata mano
L'onde ferire il uincitor Romano.
Ouunque distendea la mano, o'l piede
Mormorauano a lui d'intorno l'acque;
Et era il mormorio le uoci, e'l grido,
Con cui facean le Ninfe al mondo fede,
Che natator mai tanto altro non piacque.
Vedeansi a schiera a schiera uscire al lido
Dall'ondoso lor nido
Tutti i numi del Tebro, e far corona
A lui, che con le membra ignude, e belle
Facea scorno a le stelle;
E quant'acqua bagnaua sua persona
Tutta dolce correua e fresca, e chiara,
Ch'ancor uista nel mar non sembra amara.
Stauan le Ninfe in rimirarlo intere
Come chi mai cosa incredibil uide:
Et già fra le fresch'acque, e'l freddo humore
Ardean da i raggi de i begl'occhi accese,
Et egli ad ogni moto o fere, o ancide
Quelle che sospirar s'udian d'amore:
Ma il desio, e l'ardore
Le spinse al fin a far di lui rapina,
Che legando co i fior le braccia, e'l seno
Di lui, che uenir meno
Già si sentia, mentre ei le luci inchina
Liete lo trasser nell'ondoso fondo,
Et ne priuar del più bel pegno il mondo.
Tal già de i forti Heroi l'armato stuolo
Per l'inhospito mar solcando l'onde
Hila il fanciul trasser le Ninfe amanti

Mentre

Mentre, ch'il suo rame auido, è solo
Ricercaua entro l'acque alte, e profonde:
Ne d'Alcide le uoci, o i mesti pianti
Ne i uiaggi suoi tanti
Potero in uita ritornarlo poi:
Intanto il pio Renato accolte insieme
Le uital aure estreme,
Longe spirò da i cari amici suoi,
De la matre chiamando al modo usato,
Con la lingua ancor fredda il nome amato.
A lo sparir del giouanetto il cielo
Di fosca nube ricoperse il uolto;
E da entrambe le riue un suon dolente
Salì nell'aria a lo stellato uelo:
Ahi Renato era il suon, ch'indietro uolto
Le riue, e l'onde il risonar souente,
Che d'allegrezza spente
A ridire impararo il dolce nome.
Deh chi fe il mondo del tuo nome oscuro?
Che se men aspro ò duro
Era il suo   ornarti ancor le chiome
Di corona real, sperar potea
Roma, che di sua morte hor fatta è rea.
Canzon nata di morte
Oltra quell' alpi oue pensosa e trista
La bella Francia del gran caso siede
Ritrouerai mercede:
Iui se ben cantando, honor s'acquista
Forse auerrà ch'il grand' Henrico ascolti
I tuoi lamenti in poche rime accolti.



Regrets sur le Trespas de Monsieur le Marquis d'Asserac.

O BEAV fleuron de Mars naurrizon de la France,
Vnicque espoir des tiens, seul tyge de Rieux,
Dont les perfections ont rendu ton enfance
Emerueillabl' au monde, & desirable aux Dieux.
Le Ciel faict ton destin esgal aux belles choses,
Qui vont de leur amour les ames rauissant,
Vng mesme iour esclor, & void fanir les roses
Et les lys argentez, prennent fin en naissant
Non tu uesquis beaucoup auec peu de Iournees
Car l'aage ne facit pas qu'on uiue plus long temps
Mais la seule uertu transforme les annees
Les heures, & les Iours en des centaines d'ans
Astre par trop cruelz ? dont l'aspect aduersaire
Entr'ouure pour Iamais la porte a nos ennuys
Pourquoy nous cachez uous cette uiue lumiere
Pour ombrager nos Iours de ces funestes nuicts.
Et toy fleuue impiteux pour ung iuste sallaire
Ton nom de l'uniuers, a Iamais soit maudict,
Et la mer desdaignant de t'auoir tributaire
Ne ueuille de tes eaux souiller son moite lict
Cruel sort falloit il ? qu'on aperceut soubs l'onde
Deux soleilz en ung temps de nos yeux s'esclypser
Pour aller esclaircir chascun un autre moude
Et l'ung dedans ung fleuue, & l'autre dans la mer
Que l'ung soit pour tousiours commencer sa carriere
Et l'autre pour Iamais ne paroistre a nos yeux
Mais quoy ? si l'ung nous sert de lampe Iournaliere
L'autre bien plus diuin sert d'ornement aux Cieux
Hab ? ce fut sa beautè qui causa son dommaige
Quelque nymphe des eaux charmant de ses appasts
Ainsi comme Narcis deceu par son image
Luy mesme se rendit fauteur de son trespas
Tous deux en leur Auril firent mesme naufrage
D'une mesme beautè ilz furent reuestus,
Mais l'ung ne nous laissa qu'une fleur en partage
Et l'autre apres la mort laisse mille uertus
O effect nompareil de ueoir perir soubs l'onde
Vng soleil dont le caur embrasoit ce pourpris
Et que luy qui pouuoit comprendre tout le monde
Peut par ung peu de terre, & d'eau estre compris

Rome

Rome le uit mourir dans les bras de la gloire
Laissant de son beau corps ung grand Roy possesseur
Ses uertus dans nostre ame, au monde la memoire
Au siecle son merite son amour dans nos cœurs
Las il fut ieune d'ans, mais uiellard en sagesse,
Du manteau de l'honneur son esprit reuestu
Et meslant la prudence auec la Ieunesse
Il captiuoit la gloire acquise a se uertu
Les esclairs animez de sa brillante face
Rauissoient tout soudain nostre œuil, & nostre cœur
Edifiant ça bas, le temple de la grace
Apres auoir destruict, celuy de la rigueur
Le ciel, les elemens pour plairre a leur enuye
Partagerent entr'eux ce tresor pretieux.
L'ar receut les souspirs, l'onde rauit sa vie,
La terre prit son corps, & son ame les Cieux.

FIN.

Ego Marcus Richardus Rhodi decretorum Doctor, & Canonicus, insignis Ecclesiæ Bisuntinæ legi suprascriptos versus Gallico idiomate, in quibus nihil reperi, quod bonis moribus, & Religioni Christianæ repugnare posset. In cuius rei fidem &c. Romæ 10. Octobris 1609.

Marcus Richardus Rhodi qui supra.